Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26422
Copyright: Admont, Benediktinerstift

non maculant. Si recte fiebat, cur orbem terrarum qua sic recipiunt accusan
tur? Si autem mali bonos in unitate non maculant, quomodo se a crimine sacri
legae separationis excusant? Lucratius a Thenis dixit: Fidem nostram et bap
tismatis gratiam et legis ecclesiasticae regulam dominus noster Iesus Christus ore suo
apostolos docens implevit dicens: Ite docete omnes gentes baptizantes
eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Falsum quoque hereticorum baptisma et iniquum
a nobis pellendum esse et omni contestatione refutandum. De quorum ore virus, non
vita, nec gratia celestis, sed blasphemia trinitatis exprimitur. Et ideo venien
tes ad ecclesiam hereticos integro et catholico baptismate baptiza
ri debere manifestum est, ut a blasphemia sue presumptionis purgati pos
sint spiritus sancti gratia reformari. Plane si non est baptismus patris et filii et spiritus
sancti nomine consecratus hereticorum deputetur et iniquum a nobis omni contestatione refu
tetur. Si autem hoc in eo nomen agnoscimus, melius libera evangelica ab hereticorum
errore distinguimus, et quod in eis probum est approbamus, quod mendosum est emendamus.
Libosus a Gaba dixit: In evangelio dominus: Ego sum, inquit, veritas. Non dixit: Ego sum
consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati, ut si in preter
itum quis in ecclesia hereticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat. Hic ni
chil ostendere conatus est, quomodo sit veritas cui debere dicit consuetudinem cedere,
plus tamen nos adiuvat adversus istos qui se ab unitate diviserunt, quod illam fu
isse consuetudinem confitetur, quam quod eam veritati, quam non ostendit, cedere oportere
arbitratur. Illa enim est consuetudo, quae sacrilegos ad altare Christi sine baptis
mi purgatione admittebat, et nullum bonorum in unitate polluebat
quicumque se ab eadem unitate in qua nullorum malorum contagione pollui poterant
frustra separaverunt, manifestum sacrilegium scismatis admiserunt. Si autem